

oo ge



DISSERTATIO  
De  
ERUDITIONIS  
SCHOLASTICÆ OBJE-  
CTO, FORMA, FINE, ET ME-  
THODO DISCENDI

*invitans unâ*

Ad audiendas Orationes quinque in Schola  
ARNSTADIENSI

*d. XXI. Jul. Ann. 1673. habendas*

*dirigente*

**M. JOH. CRAUSIO**

Rect.

ARNSTADIAE

Literis MEURERIANIS.





§. 1.



**D**e eruditionis Scholasticæ, quæ in Scholis classicis acquiritur, causa efficiente, huiusque requisitis; ut & de objecto partiali, lingvis nempe & artibus, dissertationes superiores succinctè egerunt: Nunc eandem telam pertextere juvabit. Pertinent igitur ad idem objectum elementa historia quoq; & Theologia. Et HISTORIA quidè cum Geographia & Chronologia, quoniã non secus ac studiũ lingvarum, magnã memoriã vim requirit, & ad auctores intelligendos oppido necessaria est, meritò adolescentiã traditur. Suffragatur nobis *πλὴμα δὲ σῶσι* Ger. Jo. Vosius in dissert. de ratione studiorum, parte 1. pag. 1. *Historia, inquit, cum lingua studio optimè conjungitur. Cùm enim historia partim rerum naturam describat, partim res gestas narret: ex naturali quidem communia rerum pene omnium vocabula discemus: ex gestorum illa hauriemus proprias personarum ac locorum appellationes, sine quarum notitiã non poeta, non oratores, non ullum intelligi possit scriptorum genus. Ut satis liqueat, etiam ad addiscendam linguam latinam non esse expeditiorem proficiendi modum, quam si cum Cicerone aut Terentio historiam jungamus.* Et part. 2. pag 13. *Puero etiam sexenni vel septenni utiliter censeo datum iri chartas tres, quatuor geographicas, ut inde distinguere discat tres continentes &c.* Ursinus pariter in epitome prudentiã Scholasticæ p. 17. §. 69. historiam cum Rhetorica discendam esse censet. THEOLOGIAM verò, in primis Catechetica, Biblica & positivam in scholis tradendam esse, tum ex eius necessitate, tum calculis omnium scholarum christianarum satis probatur.

§. 2. Objectum eruditionis Scholasticæ excipit ejusdem forma, quæ consistit in notitiã habituali & prompta lingvarum eruditarum, artium cyclicarum, & rudimentorum historiæ & Theologiæ; cujus *πλὴμα δὲ σῶσι* signum est, alios eadem docere posse.

§. 3. Finis deniq; eruditionis ultimus est *Dei gloria*, sive accuratiores ejus agni-

agnitio & cultus, ad quem irretorto semper oculo omnes, qui studia sua volunt esse salutaria, respicere debent. Ex parte autem hominis finis ultimus est *felicitas humana*, in prudentia & probitate, sive ut quis doctior & melior fiat, posita: cui bona deinde externa, uti sunt honesta functio, sufficiens victus & amictus, à propitio Numine, tanquam additamentum aliquod, benevolè superadduntur. Proximus autem finis studiorum scholasticorum est *preparatio ad studia graviora, felicitatem hominis eominus respicientia*.

§. 4. Adjuncta sunt 1. *Tempus*, ut maturè quis incipiat, & *modo* ad id fit, nō *quomodo*: & tantisper his præparamentis immoretur, dum ea promptè noverit. 2. *Locus*, estque schola imprimis publica, quam informandis pueris, præcipue adultioribus, optime convenire, Quintilianus, Hornejus alique prolixè docent. 3. *Modus* parandi eruditionem, cujus cardo vertitur in *doctrina & exercitatione methodica*, seu ut quis instituatur à præceptoribus idoneis ex libris optimis per præcepta & exempla, seu dogmaticè & paradigmaticè, & exerceatur analyticè & syntheticè. Ceterum de methodo studiorum sive in genere, sive speciatim lingvæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, eloquentiæ, historiæ, studiorum puerilium &c. plurimi extant *libelli didactici sive pædia* virorum eruditorum, superioris & nostri seculi, uti Erasmi, Lud. Vivis, Petri Rami, Conr. Clauseri, Mich. Neandri: Wolfg. Ratichii, Christoph Helvici, Sophon. Hasenmülleri, Joh. Rhenii, Andr. Crameri, Sigism. Evenii, Joh. Ravii, Joh. Am. Comenii, Casp. Scioppii, Casp. Seidelii, Joh. Henr. Ursini, Joh. Seb. Mitternachtii, Christoph. Pomarii, Joh. Seybothii, Mich. Havemanni, Gvil. Mehovii, Joh. Schefferi, Ger. Jo. Vossii aliorumque: quorum dissertationes Vossianis adjunctæ sunt: ex antiquis etiam Quintiliani l. 1. & 2. Inst. Orat. Plutarchi &c. variæ etiam apud eosdem reperiuntur *querelæ* circa methodum de librorum technicorum, Grammaticorum, Rhetoricorum, prolixitate, lectionum multitudine, horarum pluralitate, defectu praxeos & applicationis, de quibus Ursinus, Comenius, Seidelius, Scioppius, Seybothius &c. Et summopere omninò optandum est, nutricios, patronos, & inspectores scholarum multarum de *universali quadam & constante methodo*, omnibus vel multis Germaniæ Scholis communi, certisque libris technicis, communicatis inter se consiliis, aliquando consentire posse; plurimum enim emolumentum ad universam rem literariam inde redundaturum esset (quod ipsum etiam Cl. Vir Gvilicelmus Mehovius in *dedicatione*

✻ \* ✻

tione Hermathenes nuper editæ optat) Interim illud, quod communes & eruditioribus plerisque approbati bonæ methodi *canones didactici* exigunt, meritò observatur, ut scilicet progressus fiat à facilioribus ad difficiliora, à notioribus ad ignotiora, à paucis ad multa, à generalibus ad specialia, ab inferioribus ad superiora, à Grammatica ad Grammaticam paradigmaticam & idiomaticam, hinc technicam: post Dialecticam & Rhetoricam, protinusque jungantur auctores primùm faciliores, hinc difficiliore, urgeatürque identidem theoria & praxis, analysis & genesis seu synthesis, consideratio sermonis (ex artibus sermonis Grammatica & Rhetorica) & rei, instrumentaliter ex Dialectica & Rhetorica, & principaliter ex facultatibus superioribus, prout captus discen- tium ferre potest, & leges scholasticæ præcipiunt.

§. 5. Quandoquidem verò explicatio rudimentorum historico- rum supra §. 1. laudata, suffragantibus plur. Venerab. Dnn. Scholarchis, in nostro quoque phrontisterio recepta est, argumenta Orationum qua- rundam discipulis nostris inde enata sunt: Igitur

I. JOH. SAM. Obssfelder / Eblebiâ Thur. de histori- arum dignitate & utilitate Latinè differet.

II. JOH. WILH. Magen / Abbasbesling. Thur. historiam protoplastorum oratione Hebraica exponet.

III. HENR. Holle / Clausthal. Saxo eand. Græcè proponet

IV. CHRISTIANUS Walther / Plavia Variscus eand. Latinè exsequetur.

V. JOH. CHRISTOPH Steinbrück / Holzsufrâ Thur. de Caini profligata vita Latinè declamabit.

Harum exercitationum Oratoriæ benevoli auditores & arbitri ut plur. Vener. Dnn. Scholarchæ, Inspectores & eruditi nobiscum omnes esse velint, majorem in modum rogo. Arnstadiæ d. XX.

Jul. Ann. 1673.



AB: 155735 (1)


ULB Halle 3  
003 023 915



80

V. 12









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TIO

ONIS

E OBJE-

E, ET ME-

ANDI

que in Schola

habendas

AUSIO

ANIS

29

2

